HUGO DE SANCTO VICTORE
Entstehungsort unbestimmt, 12. Jh.
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35481
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



tioribus preceptis ad bene uiuendum informantur. Homines gratie sunt hii qui per
aspirationem spiritus sancti afflati et illuminantur ut bonum quod faciendum est
agnoscant et inflamantur ut diligant et corroborantur ut perficiant
et ut idem manifestiori distinctione signemus. homines na
turalis legis sunt aperte mali. homines scripte legis ficte boni. homines
gratie ueri boni. ficte boni sunt tecti. aperte mali sunt detecti. qui per gog
et magog significati sunt. quod interpretatur tectus et detectus. et in persecutione populi
dei uenturi predicantur. quia hec duo genera hominum semper uere bonos
persequuntur. In primo genere continentur pagani. in secundo genere iudei. in tercio
xpiani. Ista tria genera hominum ab inicio numquam ullo tempore defue
runt. tamen tempus naturalis legis ad aperte malos pertinet. quia illi tunc et numero
plures et statu excellentiores fuerunt. Tempus scripte legis ad ficte bo
nos. quia tunc homines in timore seruientes. opus mundabant. non ani
mum. Tempus gratie ad uere bonos pertinet. quia modo et si numero plures non sint. tamen
statu sunt excellentiores. et dei gratia publice ante feruntur. et ab his qui eis
moribus contradicunt. Scias ergo quocumque tempore ab inicio mundi usque ad finem
nullum fuisse uel esse uere bonum. nisi iustificatum per gratiam. Gratiam autem
numquam aliquem adipisci potuisse nisi per xpm. ut ita omnes siue prece
dentes siue subsequentes. uno sanctificationis remedio saluatos ag
noscas. Aspice ergo castra regis nostri. et acies exercitus eius in armis spi
ritalibus fulgentes. et quanta precedentium sequentiumque populorum mul
titudine stipatus incedat. De tempore institutionis sacramentorum.

.xii. Tempus institutionis sacramentorum ab eo cepisse creditur.
quo primus parens merito inobedientie a gaudiis paradysi expulsus
in hoc uite mortalis exilium. cum tota posteritate usque in finem prime
corruptionis obnoxius tenetur. Ex quo enim homo a statu prime incorrup